longo jamjam ævo ab ipso edita falsò creduntur, multis exclamationibus, suspiriolis, lamentationibus ac votivis precibus, aliis obtrudendo in quieta possessione vel quasi conservare. Quæcunque enim, effato *Hippocratis de Arte XIX.*, oculorum conspectum effugiunt, ea mentis oculis obtinentur & superantur. Primus Sapientiæ gradus est, judicio *Lactant. Firmiani Lib. I.*, falsa intelligere, secundus autem vera cognoscere; qua cognitione veri, nulla est homini jucundior voluptas. Vivimus per Dei gratiam iis jam temporibus, quibus omnibus Facultatum Ordinibus, excusso jugo Papali, licentia Scripturam Sacram legendi, & in usus suos convertendi, concessa est; ex qua nimirum tam Theologi, quam Jure consulti, Medici & Philosophi, imò & mechanici atque rustici, quæ ad suum scopum faciunt, haurire possunt. Exuat ergò hypotheses superstitiosis Ethnicorum fabulis innixas, & experimentis potius veritatis unicè insistat! Idearum enim phantasmata, & inde orta opinionum commenta, delet dies, & naturæ judicia confirmat.

Tantum proinde abest, ut & has ipsas, quas Tuo, B. L., conspectui hîc sisto de Morbis Dæmoniacis Meditationes, ab omni errore immunes deprædicem, ut eum potius in finem eas in publicum emissas velim, quo habeant Medici pariter ac Physici curiosiores, in veritatem historiarum, aut rectiùs fabularum, quæ in Scriptis Patrum non minus, quam â Postillarum Compilatoribus ad superstitionem usque allegantur, præprimis verò genuinas convulsionum horrendarum, hisque adjunctorum phænomenorum stupendorum, immediatas causas & rationem formalem, accuratiùs quod inquirant. Quo facto dubium mihi remanet nullum, quin simplicior ignorantium credulitas horumque sancta simplicitas, paulatim intereat, & subtilior, quæ plurimorum animos adhuc fascinatos tenet, idololatria ad veram suam, quam ex orco traxit, originem relegetur, & penitus evanescat.

Sed